



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.  
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana  
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1673**

Capitvlvm V. Tertiò.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

quod iudicis notitiam excedit, tunc peritos in ea re accerere debet, eorumque iudicium cum credulitatis iuramento requirere. Ita sumitur ex hoc c. & c. *Fraternit.* l. 1. ff. de *Frigidis.* l. 1. ff. De *inspiciendo ventre.* Ceterum si ex parte consensu utriusque periti adhibeantur, ad discernendum, tunc eorum iuramentum necessarium non esse, tradit *Felin.* hic n. 9. ubi alios quoque casus recenset, in quibus iuramentum peritorum non requiritur.

Quarunt hinc DD. si lex requirat duos vel plures peritos adhiberi, & in loco tantum unus adsit, utrum alij aliunde aduocari debeant. *xx.* *Cum Panorm.* hic n. 6. Iudicis arbitrio esse committendum, utrum considerata qualitate causae, vnus iudicium sufficere possit, juxta *Authent. de non alienandis rebus Eccles.* §. *quod autem.* & tradit *Bartol. in cit.* l. 1. n. 6. *Decius* hic n. 10. *Imola* n. 5. Sin autem causa ardua sit, ut vni credendum non videatur, praesertim si pars litigans petat plures aduocari, tum id fieri debet, uti monet hic *Panorm.* n. 7.

## CAPITVLVM V.

## Tertiò.

## PARAPHRASIS.

Canonicus Regularis amico suo sub sigillo Conuentus alienationem fecit rei Ecclesiae immobilium: cum id instrumentum exhibitum esset in iudicio, Procurator Monasterij dixit non esse cum Conuentus consensu confectum, atque sigillum adulterinum vel furtivum esse, atque ad hoc probandum introduxit fratres, qui iurati dixerunt, quotiescunque de hac alienatione mentio facta fuit, conuentum contradixisse, & quia aduersus haec testimonia pars aduersa nihil probauit, ideo Clemens III. rescribit secundum dicta testimonia fratrum esse iudicandum.

## SUMMARIVM.

1. In causa sua Ecclesiae Clericus etiam vel Religiosus potest esse testis.

2. Excipiens contra aduersarij instrumentum, ex eo quod dicat, sigillum adulterinum, aut furto sublatum esse, admitti debet ad probandum.

NOTA I. Clericus vel Religiosus potest esse testis in causa Ecclesiae suae, ita habetur *infra c. Insuper. 6. de Testibus.* Hoc loco difficultas est, nam hi testes videntur fuisse singulares, & ideo non sufficientes ad probationem faciendam. *Arg. c. Cum dilectus. 32. De elect.* *xx.* Non fuisse singulares, sed testes, quia singuli testificabantur de eodem facto, videlicet communi contradictione seu reclamatione Conuentus, sed casus dicti *c. Cum dilectus*, diuersus est, nam ibi suffragia in secreto data fuere, & ideo Canonici testari non poterant, nisi de singularibus suffragationibus, ita ut quisque ipsorum diceret, se in electum non consensisse.

Nota II. Contra instrumentum in iudicio productum aduersarius excipere potest, sigillum esse adulterinum, id est, vel factum secundum imitationem, vel furto sublatum, & ad alterutrum horum per testes probandum admitti debet. *c. Cum Ioannes. 10. De fide instrument.* Et verò talis probatio fieri potest, non tantum directe ostendendo fraudem, sed etiam indirecte, videlicet reclamatum fuisse à Conuentu, v. g. ne fieret, instrumentum Conuentus nomine productum, esse suppositivum.

## CAPITVLVM VI.

## Iurauit.

## PARAPHRASIS.

Titius iurauit se Caiam ducturum in uxorem, & cum vellet eam ducere, seu verbis de Praesenti contrahere, quidam opposuerunt se, iuramenti secundum morem editis, quod illi in quinto Consanguinitatis gradu coniuncti essent, quorum testium iuratae depositiones cum publicatae essent, alius testis accessit, qui probare voluit, nullo illos consanguinitatis gradu junctos esse, dubitauerat iudex